

/ Serenissime, et potentissime, atque Dei amantissime Princeps. Laetificavit animam meam Epistola Serenitatis Vestrae. Nam, quemadmodum ab initio exortae haeresis Lutheranae, Domus Bavariae fidei catholicae vexillum erexit, et sola, ni fallor, a teterrima haeresos
5 contagione immunes provincias suas conservavit; sic etiam nunc non solas provincias suas incolumes, Deo adjuvante, conservabit, sed multas alias, ut supremus Dux catholici foederis, ab haeretica peste liberabit. Quamvis enim portae inferorum dilatatae sint, et Regnum Bohemicum, et Hungaricum, conjunctis viribus, Hierusalem sanctam e-
10 vertere se posse confidant, tamen non est difficile Domino exercituum partem suam illaesam conservare. Illud unum est necessarium, ut milites Christi solius Dei honorem, et Ecclesiae incolumitatem prae oculis habeant; et expiatis culpis per sacram confessionem, et sacrosancta Eucharistia refecti, ad bellum procedant; cujus rei duo
15 exempla proponam. Scribit Guilielmus Tyrius in sexto libro de Bello Sacro, victos fuisse a paucis Christianis, sed sacra confessione et communione praemissa, innumerabiles paganos, cum christiani diutius obsessi summa inopia laborarent, pagani vero rebus omnibus abundarent. Scribit quoque Paulus Aemilius in libro sexto de rebus ges-
20 tis Francorum a Simone Corvito cum octo millibus catholicorum caesa fuisse centum millia haereticorum; sed catholicos ante praelium munitos fuisse Confessionis, et Eucharistiae Sacramentis. Et ante illa tempora notum est, sanctum Imperatorem Henricum, ex gente tua, multas victorias reportasse, quia exercitum suum Sacramentis coelestibus
25 ante proelium muniebat. Sed nolo esse prolixior. Deum optimum maximum ex animo precor, ut Serenitatem tuam dirigat, et protegat, et cum aliis catholicis Principibus de hostibus fidei egregium triumphum reportare concedat. Romae die 16. Julii 1620.